… Casimirus

Podgarski Samuelis Ioannis: Definitio essentialis viri sapientis ex genere et differentia virtutum ac meritorum.

DEFINITIO ESSENTIALIS VIRI SAPIENTIS,

ex Genere & Differentia

VIRTUTUM ac MERITORUM,

PERILLUSTRIS, CLARISSIMI & ADMODUM REVERENDI DOMINI,

D. M. RAPHAELIS CASIMIRI

ARTENSKI,

Sacræ Theologiæ Licentiati & Professoris, Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI Floren: ad Crac: Canonici, Pajęczen: Parochialis Curati, Contubernij Gelanij Provisoris,

Dum Idem

in Lectorio DD. Theologorum,

à

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. M. MARTINO WINKLER,

Sacræ Theologiæ Doctore & Professore, Collegij Maioris Seniore Patre, Ecclesiarum, Cathedralis Crac: Canonico, Collegiatarum Sandomirien: PRÆPOSITO, Kielcen: Scholastico, Curato Premykovien.

in Præsentia Magnorum Hospitum,

& Omnium Almæ Universitatis Cracov: Ordinum,

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR,

RITU SOLENNI CREARETUR,

CONCINNATA.

ac per

M. SAMUELEM JOANNEM PODGURSKI,

Ph: Doctorem, in Collegio Minori Eloquentiæ, ac interea Cursûs Vladislauiano Philosophici Professorem, Ecclesiæ Archypresbyteralis in Circulo Crac. Pœnitententiarium Radyminscianum, S. R. M. S. Notarium Apost.

plaudente pennâ

Orbi Literario

MANIFESTATA.

Anno, quo Infinita Persona verbi, terminis Naturæ nostræ definita est. 1698. die 19 Nov.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

DEFINITIO
ESSENTIALIS
Sapientis Viri.

ACutiùs Epidaurio ſerpente, abditas rerum Naturas intueri,
DiviniorCyrrha,ſuperis cognatã felicitatem eſſe dudũ enunciavit.
Hæc nempe mortalis Naturæ,immortalis dignitas vulgò cenſetur,
quòd implicatas rerum eſſentias explicare nôrit.

Hæc gloria Microcoſmi,

quòd vaſtiſſimam mundi compagem, exilibus animi terminis comprehendat.
Abdiderit ſe licet, centum cortinis rerum Parens;
nihil tamen inabditum humano ingenio relinquere viſa:
quia nullum eius arcanum, mortalibus eſt arcanum.

Nullus nodus difficultatis,

quem ingenij acumine faciliùs quam Gordium non reſolvant.
Nonne Syracuſanus ſenex, in Dyoniſij Palatio quietus,
perniciſſimos ſiderum motus ingenio aſſecutus?
Nonne interminatas Cælorum Peripherias,
ſui intellectûs terminis complexus eſt?

Neptuni fundo carentiâ Regna,

& indefinitam arenæ multitudinem definire contendit?
Imò quid aliud Græci, per ſeptena Sapientũm oracula,
Indi per Gymnoſophiſtas, Galli per Druidas, Perſæ per Magos, factitârunt?
niſi vt latentem naturam, non latere demonſtrarent.
Et quidem hi Dij terreſtres, non humanum opus aggreſſi ſunt;
ſi hoc ipſis divinè ſucceſſiſſet.
ſed ô quam irrito conatu grandia moliti ſunt!
Dum naturas rerum inveſtigant, naturam ſapientûm amiſère.
Dum conclave latentium eſſentiarum, ingredi conati ſunt;
ipſi errorum labyrinthis incluſi, hæſerunt.

Suæ ſcientiæ temulenti faſtu,

in definiendis rebus planè deſipuerunt.

Secum habitare (vt ajunt) ignorantes,

Cælum ipſum petierunt inſipienti Sapientia.
Siccine ô boni! *non latent vos differentiæ rerum?*
Cùm in manifeſtis & veris, ita ſe intellectus habeat, vt oculus bubonis ad ſolem.

Quid in ignotis?

vosmetipſos definiendi, primum negotium erat,

ſi bene ſapere in votis fuit.

Nempe, nulla eſt intricatior Definitio, quàm Viri Sapientis.
Genus eius difficillimum, quia ſapiens amicus Deorum eſt.
Differentia inveſtigabilis, quia cum homo ſit, ſupra humana tamen elevatus.
Orbis totius Incola eſt, orbis tamen limites excedit.
Non ex faſtuoſo ergo rerum ſcrutinio, aut temeraria curioſitate,
non ex abſorptis Entium locuſtis, Sapientem metiri licet.

Opti-

Optima illius Definitio est,
si per Genus virtutum & Differentiam meritorum,
natura sua solo minor Iove explicetur.
Sed ne morer ignaros & ignavos saperdas,
in Te ipso, essentialem sapientis Viri Definitionem monstrandi animus est,
Perillustris, Clarissime & Admodum Reuerende Domine,
D. M. RAPHAEL CASIMIRE
ARTENSKI,
Sacræ Theologiæ Licentiate & Professor, Collega Maior,
Eccles: Colleg: S. FLORIANI Floren: ad Crac: Canonice &c.
Neq; vulgari Genere aut Differentia Communi, hæc Tui constat Definitio.
Primatialis Civitas Łovicium
felicem Tibi dedit Lucinam,
vt quæ ex Ethymo nominis piscationem sonat;
Tritoniam simul Tecum Academo nostro irretitam autumaret.
Nempe locus ille & lacus Euryppo felicior,
qui non absorbet Stagyritas, sed in decus Athenæum conservat.
Certe nullam ætatem Diphtera nostra novavit,
quâ indè nostrarum quoq; scientiarum aquis,
quispiam non prodiret Nereus.
Ministra superûm Fama,
præpetibus alis, etiam post fata superstites defert Virtutes,
STANISLAI à LOWICZ
S. Th: Doctoris & Professoris CANONICI S. FLORIANI,
amplissimi Ecclesiæ Pajęcznensis Dotatoris.
Stat laudis immortale Trophæum, in Capitolio Honoris,
quod promeruit gemma Doctorum,
Tibi Vir Clarissime jure Agnationis coniunctus,
STANISLAUS IURKOWSKI, Lovicien:
Sacræ Th: Doctor & Professor, Præpositus S. FLORIANI
Vir peritiâ linguarum, exotici solis lustratione,
jurium & immunitatum Vnivesitatis nostræ vindicijs, celeberrimus.
Augusta Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI moles,
quod post Sveticam desolationem, iterum assurrexerit;
eius munificentiæ & curæ totum debet in acceptis.
Sarmatiæ Machaones & Dioscorides
SIMON & CYPRIANUS de LOWICZ,
CASIMIRUS & JOANNES CEBROVII Lovicien:
Regum & Primatum ARCHIATRI peritissimi,
nonne apud seram posteritatem novi Apollines audiunt?
SEBASTIANI BĘTKOWSKI Lovicien:

Præpo-

Præpoſiti Ruſcen: toties relatum ex Hæretica pravitate triumphum; potiſſimũ verò ſacrum illud Areopagi Lechici edictum, ſuâ inſtantiâ procuratũ;

ne diſſidentium Coryphantes, perſonatæ veritatis ſimiæ,

gentis electæ deferant veſtitum;

Divinior Themis ære perenniùs conſignavit.

Hoc genus Sapientûm à Te quidem non remotum,

propiùs tamen ſubminiſtrat, Romanus Sophus.

Prima huic ſapientem definiendi lex eſt,

ſi animus illiùs intueatur vera, ſitq; peritus fugiendorum ac petendorum,

ſi non ex opinione, ſed ex Natura, pretia rebus imponat.

Hanc Tu Vir Clariſſime, eſſentialem vitæ Tuæ partẽ,

in aurora ætatis, Phæbo meridiano clariùs exhibuiſti.

Multis voluptas bonum pecoris,

tanquam præſtigiatis pomis illudit, vt blandiendo enecet.

Plures Andabatas, fatui vanitatis ignes, in avia ducunt;

Tu vbiq; lyncem agens, in Divinam Virtutis imaginem, oculos defixiſti.

Ad omnia rerum pretia Argus,

quidquid boni fucum mentitur, judicio Catonis damnâſti.

Quòd ſi ex edicto Senecæ, *Sapientis animus toti ſe inferat mundo;*

in omnes eius partes ſuam mittat contemplationem:

Quis Te arctiùs, hoc genus occupationis amplexus eſt?

Divinis humaniſq; inſtruens mentem ſciendi avidam, diſciplinis;

In Tuo intellectu, Theatrum quoddam Magnificum

vniverſæ Naturæ attollere conatus es.

Hinc nunquam magis, quàm in labore quietus,

affixus loco, orbem totum peragraſti:

adeo, vt vniverſale quoddam à parte rei artium & ſcientiarum breui extitiſſes.

Aurea ſapientiæ clavi, reſeratum Auguſtal Naturalis ſcientiæ ingreſſus,

obiecti ipſius naturam in Te tranſumpſiſti.

Nulla Tibi difficultas impervia, nulla illius penetralia impenetrabilia:

quia in intimas rerum fibras, fueras Ens mobile actualiter.

Ab omnibus quæ ſapientem diſtinent occaſionibus,

omnimodè abſtractus,

ne Te quidem Tibi reliquiſti;

totus intentus eruditis cogitationibus.

Ex æquo Magnus, vehemens ac pertinax in contẽplatione veritatis.

Cæterùm ex omnibus os illud divinum ſuadæ,

& non vulgaris enthuſiaſmus,

Te Athenis noſtris. Demoſthenem & Homerum fore autumabant.

Suſpexit hoc genus eruditionis & virtutis,

Memoratus ille eruditorum Coriphæus, IVRKOVIVS.

Unde non Agnationis vinculo, ſed æſtimatione tantarum dotum,

Te inter Laureatos cóöptari curavit.

Præcognovit fatidico Spiritu, hic ſapientum Phæbus,

Te Novodvorſciano Parnaſſo perutilem fuiſſe.

in quo Caſtalijs ſolidæ doctrinæ vndis, ſitientes animos abunde refeciſti.

Faceſſant ſeveriores Orbilij cum ſuis ferulis

cum

cùm Tu suavioribus docendi medijs, parvos Lechiæ Quirites,
ad Thyaras, Clauas, Caduceos, Curules, & plures & pluribus annis aptaveris'

ILLUSTRISSIMA KRASICIORUM Prosapia,
si hodie scipiadas in bello, Catones in Senatu habeat,
Tuæ eruditioni, totum tribuit.

Porrò animus Tuus ad summa natus, in Academica statione,
tanquam in beatis insulis collocari exoptavit;
vt subductis curarum tempestatibus, in solido ac sereno stetisset.
scilicet felices hic animas, tanquam in Elysiis degentes campis existimâsti;
quæ se nulli fortunæ submittunt;
verùm supra omnia quæ contingunt eminent.
Vbi sapientûm Domus, apum more, nihil priuati habet.
Vbi sapientia non populare artificium, nec ostentationi paratum,
animum format, vitam disponit actiones regit,
agenda & omittenda demonstrat.

Verùm quid cunctaris calame?
Rumpe moras omnes; Differentias explica meritorum.
Latere te non possunt,
quæ semper apricum solis publici petiêre.
Perpende ab arte, non vanum Viri cognomen,
quem Artistarum Principem in Stoa veneratis.
Ostrum hoc Decanale,
Depositum & Dactyliothecam, Reginæ Sapientiæ texit,
vt decus & præsidium tutius ab ea haberet,
quem ardor sciendi, in artem ipsam ac scientiam transformavit.
Plinios Traiano deinceps cave invideas.
Etiam hic Vir, penu omnigenæ eruditionis,
TYLICIANVM agens Plinium,
Regum, Heroum, ac Eruditorum gesta, immortalitate donavit.
Inscripta Clypeo Magni IOANNIS oracula,
perennitatem gloriæ prædicunt prædicantq;.
Volubilis sane fuerint Antiquis fama,
Retrogradâ ARTENSCIANA Pöesi, revocabit volatum.
SERENISSIMI & INVICTISSIMI
AUGUSTI II. Regis Nostri Clementissimi,
Coronatam gloriam;
Hic idem Apollo auspicato augurio celebravit.
CURSUS THEOLOGICI, MORALIS & SACRAMENTALIS,
Communemne meriti Differentiam ostendunt?
At nihil commune est animo Cælestibus intento, cum terrenis.
Quid multis?
Propter hoc Genus amplissimum eruditionis,
& Differentiam meritorum,
Hodie feliciter, voto Almæ Universitatis,
Ad Fastigium Theologici honoris sublimaris
PERILLUSTRIS DOMINE NEODOCTOR.
Quod Tibi iam votiva Camæna gratulatur.

B Æterni

ÆTerna laudum Carmina fundimus.
Fauete plectris Carmina mollibus:
Cantusq́, chordarum sonoros,
Mille modis tenuate miris.
Thebana vel qui mœnia recreat
Vatis, repando pectore, Pindari,
Nunc spiritus venam refundens,
Dulcisonum cumulet paratum.
Horatianis seû quis inambulat
Ornatus Odis: nunc ad idoneos
Accedat auctus, & iacentem
Det meliùs modulare Musam.
Laurum Cathedris Theologo sacris
Quando capessit, Numine prospero,
ARTENSCIVS mentisq́, pulchrum
Muneribus decorare sacris
Pergit nitorem: gloria curribus
Litet serenis, inchoreas suo
Temone tendens, eruditis
Plaudat ouans Academus vmbris.
Laborioso tempore Laureas
Gestâsse sacras, & Cathedræ tholo
Fulsisse posses, sed modesto
Te RAPHAEL tenuisse cliuo
Visa, altioris non satis indiga
Mens, culminis: cûi pectore in intima
Perampla resplendent honesti.
In cumulis bona celsa largis.
Reuoluo pulchri vasta negotia
Laboris in Te. Te IAGELONIÆ
Multùm fatigauêre Musæ
Et tumidi decora alta Pindi.
Sersit bicolli Te geminus iugo
Parnassus auctus: tunc Aganippidum
Fluxêre fontes in peramplos,
Ipse decus stupuisse fertur.
Apollo tantùm. Philosophantium
Arcana rixis mota perarduis.

Foris

Foriq́; controuersa docti
Litigia innumeriq́; nodi
Cessere: dum Tu feruidus ingeniî,
Inter calentis prælia iurgij,
Parum resedisses, patescunt
Cuncta suis sinuata nodis.
Tu dum Palestræ TYLICIÆ decus,
Pulchro loquendi munere proluis,
Polita multùm Tullianæ &
Assequeris monumenta linguæ:
Parens Latini Tullius elóquî
Miratur ampli flumina nectaris;
Antiqua lætatur vigere
Munera tunc rediuiua suadæ.
Te Musa pulchro vexit in essedo,
Per Regna Phœbi, Teq́; Heliconia
Gustâsse permisit fluenta,
Castaliæ Dominator oræ.
Tu dum Coronis Sceptra perarduo
Coniungis ausu, Carmen, ab artibus
Miris, recenses expolitum,
Artifici numero resolvens.
Tu siue celsas scandis in exedras,
Trophæa cunctis cordibus erigis,
Sensêre tunc multi catenas
Pectoribus valuisse dulces.
Sacrata pandis seû Aquinatici
Præcepta Thomæ: mentibus aufugit
Obscura nubes, & corusci
Lumina prosiluêre Veri.
Ergo laboris tramite prospero,
Conscende sacri culmen in arduo
Honoris, excelsâq́; sede
Da requiem placidam labori:
Nunc laureati tempora sæculi
Exple beatus, fulmina Laureis
Propelle sacris & serenos
Viue dies sine nube lætus.



Sub Felicissimis Auspicijs,

Magnifici Perillustris, & Reverendissimi Domini,

D. M. SEBASTIANI PISKORSKI,

J. V. Doctoris & Professoris, Ecclesiarũ Cathedralis Crac: & Collegiatarum Vielunensis CANONICI, SS. Omnium ARCHIDIACONI, Scholarum Novoduorscianarum Provisoris, Studij Almæ Universitatis Cracoviensis, PROCANCELLARII, ac GENERALIS, & VIGILANTISSIMI

RECTORIS.